



Vilhelmus ille Aquisgrani natus & educatus studiorum causa sese Erdfordium contulit. ibi uigilanti studio adeò profecit, ut in sacris & prophanis literis doctissimus haberetur. Vnde in eodem gymnasio publicus Theologiæ professor constitutus, magna cum laude Euangelium Ioannis exposuit, & commētarijs illustrauit. Postea uerò Basileam sese conferens, in cathedrali Ecclesia cōcionator efficitur. Erat is eloquio scholasticus, atq; naturali facundia præditus. Itaq; ciues & clerū magno ardore à uitijs ad uirtutes pellexit, atq; diligenter (ut tempora ferebant) uineam Domini ibidem plantauit. scripsit is de Passione Domini,

atq; Itinerarium terræ sanctæ, cum multis quæstionibus & sermonibus, clariuit sub Friderico anno 1482. Trit.